

§. II. Viderant hactenus ministri Regis, quantam ipsorum hic Dominus sustineret miseriam, cum impuro vexatus Spiritu profundis ac tristibus indulgeret meditationibus, & subito percitus furore molestum ipsis facessere non desineret negotium, deq̄ve loco in locum se conferens jam hoc jam illud susciperet, ex quo satis colligere poterant, quod peculiari quodam malo ita exagitaretur. Indeque ut pristinam salutem Regi suo valerent restituere, consilia inveniunt varia, quâ ratione id in actum optimè posset deduci. Præcipuè cum animadverterent, periclitari regium corpus, Medici imprimis, quod ipsis incubuit, omni diligentia ac studio exequi allaborârunt. Etenim per Servos, qui heic nominantur, Medicos non incommodè intelligi censemus, cum frequenter in S. literis hoc nomine veniant ii, qui sanitatis summorum Principum rationem habent. Constat hoc vel ex *Gen. L. 2.* ubi *Joseph* præcepisse dicitur *suis Servis, Medicis*, ut aromatibus condirent corpus *Jacobi*, Patris sui. Itaque adeant ipsum Dominum, dolorem, quem ex misero ejus Statu percipiant, eidem aperientes. Svadent autem simul, ut, cum salutaria heic remedia maximè quærenda sint, de iis etiam velit esse sollicitus. Ipsi verò omnium optimè consultum iri, si mandaret, ut quæreretur quidam, qui citharam benè pulsare secundum artis regulas valeret. Hoc enim pacto futurum, ut dolorum molestiarumque lenimen inde perciperet. Rex, cui hoc in votis erat unicè, ut ab hoc tristi malo liberaretur, præcipit, ut alacres pariter ac fideles se præberent in eligendo ejusmodi homine, qui per artificiosam citharæ tractationem morbum pellere valeret. Adductus itaque est *David*, qui inscio *Saule* in Regem jamjam unctus fuerat, non regio tamen splendore (utpote quem post *Saulis* demum mortem plenariè adeptus est) jamtum conspicuus. Hic ut artis *Musicæ* peritissimus censebatur, ita